

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco  
Schoppe, Caspar  
Perizonius, Jacobus  
Franequera, 1687**

Ad. V. C. D. Jacobum Perizonium

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

A D

V. C.

D. JACOBUM PERIZONIUM,

*Humaniorum literarum Professore,*

Cum Sanctii Minervam, notis & Animad-  
versionibus auctam, ederet.

**I**Uno, Minerva, Venus, quarum regis altera terras,

*Altera mortales non finit esse rudas,*

*Tertia divinis humana calefcere flammis*

*Pectora, naturâ corda movente, jubet.*

*Arbitrium peterent quando emula Numina formæ,*

*Debuerat judex justior esse Paris,*

*Magne Perizoni, quo Franika nostra superbit,*

*Franika Doctorem non habitura parem,*

*Equior hanc litem sententia vestra diremit,*

*Et victrix merita est palma tributa Deæ.*

*Arbitrii jurisque tui Natura reliquit,*

*Quam Tibi Divarum demeruisse velis.*

*At bene posthabitis, quarum Venus arbitra, formis,*

*Et quas innumeras altera jactat opes,*

*Judice Te, nostræ cessit victoria Divæ*

*Et superat binas una Minerva Deas.*

*Hanc colis, Hanc ornas, Hæc Te cultore renascens,*

*Altius Augustum tollit in astra caput.*

*Redditus est Latie tandem, Te vindice, lingua,*

*Quem prope delebant barbara secla, nitor.*

Re-

Reddita majestas, modo deplorata, Minervæ est,  
Quam vix monstrarat Sanctius esse Deam,  
Sermonis Veneres Tibi se debere fatentur,  
Et puræ antiqui divitiæ eloquii.  
Nec tantum victrix plaudit Tibi Diva, sed ipsa  
Judicio accedunt Numina victa tuo.  
Sublatisque odiis, olim altâ mente repostis,  
Jungunt, Te, faciles, conciliante, manus,  
Promittuntque Tibi vel dant tot munera Divæ,  
Quot data Priamide pascere, fama negat.  
Inferior tantum poterat sua causa videri,  
Numina quod iudex viderit ipsa Paris:  
Hoc oculis etiam, vel plus tua numina vestris,  
Si quid habet veri nostra Camena, dabunt.  
Tres ergo ut spectes humano in corpore Divas,  
Et referas meritis præmia digna tuis,  
Dii faciant, jungenda Tibi sit femina, dote,  
Ingenio, formâ, Jumo, Minervâ, Venus.

CORNELIUS van ECK  
J. U. D. & Professor.

SANC.